



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta  
Complectens Primam Secundæ, & Secundam Secundæ Summæ  
Theologiæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

Qvaestio XXXIII. De effectibus delectationis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72759](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72759)

alicuius rei amatae magis accrescit desiderium, tãtò magis per ademptionem accrescit delectatio: & èt in ipso augmento desiderii fit augmentum delectationis secundum quod fit etiam spes rei amatae, sicut supra dictum est, \* quòd ipsum desiderium ex spe est delectabile. Est autem admiratio desiderium quoddam sciendi, quòd in homine contingit ex hoc, quòd uidet effectum, & ignorat causam: uel ex hoc, quòd causa talis effectus excedit cognitionem, aut facultatem ipsius. & ideo admiratio est causa delectationis, in quantum habet adiunctam spem consequendi cognitionem eius, quòd scire desiderat. Et propter hoc, omnia admirabilia sunt delectabilia, sicut quae sunt rara, & oēs representationes rerum, èt quae in se nõ sunt delectabiles. Gaudet. n. anima in collationem unius ad alterum: quia conferre unum alteri, est proprius & con naturalis actus rationis, ut Philosophus dicit in sua Poetica. \* & propter hoc èt liberari a magnis periculis, magis est delectabile, quia est admirabile, ut dicitur in primo Rhetori.\*

**AD PRIMVM** ergo dicendum, quòd admiratio non est delectabilis in quantum habet ignorantiam, sed in quantum hêt desiderium addicendi causã, & in quantum admirans aliquid nouum addiscit. Ita talem esse, quem non aestimabat.

**AD SECVNDVM** dicendum, quòd delectatio duo habet, scilicet quietem in bono, & huiusmodi quietis perceptionem. Quantum igitur ad primum, cum sit perfectius contemplari ueritatem cognitam, quam inquirere ignotam, contemplationes rerum scitarũ per se loquendo, sunt magis delectabiles, quam inquisitiones rerum ignotarum: tamẽ per accidens, quantum ad secundum, contingit quòd inquisitiones sũt quandoque delectabiliores, secundum quod ex maiori desiderio procedunt. Desiderium autem maius excitatur ex perceptione ignorantiae: unde maxime homo delectatur in his, quae de nouo inuenit, aut addiscit.

**AD TERTVM** dicendum, quòd ea quae sunt cofueta, sunt delectabilia ad operandum, in quantum sunt quasi connaturalia: sed tamen ea, quae sunt rara, possunt esse delectabilia uel ratione cognitionis, quia desideratur eorum scientia, in quantum sunt mirabilia ratione operationis, quia ex desiderio magis inclinatur mens ad hoc, quòd intente in nouitate operetur, ut dicitur in 10. Eth.\* Perfectior. n. operatio causat perfectiorem delectationem.

QVAESTIO XXXIII.

De effectibus delectationis, in quatuor articulos diuisa.

**DEINDE** considerandum est de effectibus delectationis.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

- ¶ Primo, Vtrum delectationis sit dilatare.
- ¶ Secundo, Vtrum delectatio causet sui sitim, uel desiderium.
- ¶ Tertio, Vtrum delectatio impediatur usum rōnis.
- ¶ Quarto, Vtrum delectatio perficiat operationem.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum delectationis sit dilatare.

**AD PRIMVM** sic proceditur. Videtur, quòd dilatio non sit effectus delectationis. Dilatio. n. uidetur ad amorem magis pertinere, secundum quòd dicit Apostolus 2. ad Corinth. 6. Cor nostrum dilata-

**A** tum est. Vnde & de præcepto charitatis in Psal. 118. dicitur, Latum mandatum tuum nimis: sed delectatio est alia passio ab amore. ergo dilatio non est effectus delectationis.

¶ 2. Præt. Ex hoc quòd aliquid dilatur, efficitur capacius ad recipiendum: sed receptio pertinet ad desiderium, quòd est rei nondum habitae. ergo dilatio magis uidetur pertinere ad desiderium, quàm ad delectationem.

¶ 3. Præt. Constrictio dilatationi opponitur: sed constrictio uidetur ad delectationem pertinere. nam illud constringimus, quòd firmiter uolumus retinere: & talis est affectio appetitus circa rem delectantem. ergo dilatio ad delectationem non pertinet.

**B** SED CONTRA est, quòd ad expressionem gaudii dicitur Isai. 60. Videbis, & affluet: & mirabitur, & dilabitur cor tuum. Ipsa etiam delectatio ex dilatatione nomen accipit, ut lætitia nominetur, sicut supra dictum est.

**R**ESPON. Dicendum, quòd latitudo est quaedam dimensio magnitudinis corporalis: unde in affectionibus animae non nisi secundum metaphoram dicitur. Dilatio autem dicitur quasi motus ad latitudinem, & competit delectationi secundum duo, quae ad delectationem requiruntur, quorum unum est ex parte apprehensiuæ uirtutis, quae apprehendit coniunctionem alicuius boni conuenientis. Ex hac autem apprehensione apprehendit se homo perfectionem quaedam adeptum, quae est spiritualis magnitudo: & sicut in hoc animus hominis dicitur per delectationem magnificari, seu dilatare. Aliud autem est ex parte appetitiuæ uirtutis, quae assentit rei delectabili & in ea quiescit, quodammodo se præbens ei ad eam interiorius capiendam, & sic dilatur affectus hominis per delectationem, quasi se tradens ad continendum interiorius rem delectantem.

**AD PRIMVM** ergo dicendum, quòd nihil prohibet in his, quae dicuntur metaphorice, idem diuersis attribui sicut diuersas similitudines: & secundum hoc, dilatio pertinet ad amorem ratione cuiusdam extensionis, in quantum affectus amantis ad alios extenditur, ut curet non solum quae sua sunt, sed quae aliorum: ad delectationem uero pertinet dilatio, in quantum aliquid in seipso ampliatur, ut quasi capacius reddatur.

**AD II.** dicendum, quòd desiderium hêt quidem aliquam ampliationem ex imaginatione rei desideratae, sed multo magis ex praesentia rei iam delectantis, quia magis præbet se animus rei iam delectanti, quàm rei non habitae desideratae, cum delectatio sit finis desiderii.

**AD III.** dicendum, quòd ille qui delectatur, constringit quidem rem delectantem, dum ei fortiter inhaeret, sed cor suum ampliat, ut perfecte delectabili fruatur.

ARTICVLVS II.

Vtrum delectatio causet sui sitim, uel desiderium.

**AD SECVNDVM** sic proceditur. Videtur, quòd delectatio non causet desiderium sui ipsius. Ois. n. motus cessat, cum peruenit ad quietem: sed delectatio est quasi quaedam quies motus desiderii, ut supra dictum est. cessat ergo motus desiderii, cum delectatione peruenit. non ergo delectatio causat desiderium.

¶ 2. Præt. Oppositum non est causa sui oppositi: sed delectatio quodammodo desiderio opponitur ex parte obiecti. nam desiderium est boni non habitati: delectatio uero boni iam habitati. ergo delectatio non causat desiderium sui ipsius.

¶ 3. Præt. Fastidium desiderio repugnat: sed delectatio plerumque causat fastidium. non ergo facit sui desiderium.

Prima Secunda S. Thomae.

X 2 SED

SED CONTRA est, quod Dominus dicit Io. 4. Qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum, per aquam autem significatur, secundum Aug. \*delectatio corporalis.

RESPON. Dicendum, quod delectatio dupliciter potest considerari. Vno modo sicut quod est in actu: alio modo sicut quod est in memoria. Item sitis, uel desiderium potest dupliciter accipi. Vno modo proprie, secundum quod importat appetitum rei non habitam: alio modo communiter secundum quod importat exclusionem fastidii. Secundum igitur quod est in actu, delectatio non causat sitim, uel desiderium sui ipsius, per se loquendo, sed solum per accidens. Si tamen sitis, uel desiderium dicatur rei non habite appetitus, tunc delectatio non causat simpliciter sitim, uel desiderium: nam delectatio est affectio appetitus circa rem presentem. Sed contingit rem presentem non perfecte haberi, & hoc potest esse uel ex parte rei habite, uel ex parte habentis. Ex parte quidem rei habite, eo quod res habitata non est tota simul, unde successiue recipitur: & dum aliquis delectatur in eo quod habet, desiderat potiri eo quod restat: sicut qui audit primam partem uersus, & in hoc quod delectatur, desiderat alteram partem uersus audire, ut Aug. dicit 4. Confes. \* Et hoc modo omnes fere delectationes corporales faciunt sui ipsarum sitim quousque consummentur, eo quod tales delectationes consequuntur aliquem motum, sicut patet in delectationibus ciborum. Ex parte autem ipsius habentis, sicut cum aliquis aliquam rem in se perfecte existentem non statim perfecte habet, sed paulatim acquirit: sicut in mundo isto, percipientes aliquid imperfecte de diuina cognitione, delectantur, & ipsa delectatio excitat sitim, uel desiderium perfecte cognitionis: secundum quod potest intelligi quod habetur Eccl. 22. Qui bibunt me, adhuc sitient. Si uero per sitim, uel desiderium intelligatur sola intentio affectus tollens fastidium, sic delectationes spirituales maxime faciunt sitim, uel desiderium sui ipsarum. Delectationes enim corporales, quia augmentatae, uel continuatae faciunt superexerescitiam naturalis habitudinis, efficiunt fastidiosam, ut patet in delectatione ciborum. & propter hoc quando aliquis iam peruenit ad perfectum in delectationibus corporalibus, fastidit eas, & quandoque appetit aliquas alias: sed delectationes spirituales non superexerescunt naturalem habitudinem, sed perficiunt naturam, unde cum peruenitur ad consummationem in ipsis, tunc sunt magis delectabiles, nisi forte per accidens, in quantum operationi contemplatiuae adiunguntur aliquae operationes uirtutum corporalium, quae per assiduitatem operandi lassantur. Et per hunc modum etiam potest intelligi quod dicitur Eccles. 24. Qui bibit me, adhuc sitiet. Quia etiam de angelis, qui perfecte Deum cognoscunt, & delectantur in ipso, dicitur 1. Petri 1. quod desiderant in eum conspicerem. Si uero consideretur delectatio prout est in memoria, & non in actu, sic per se nata est causare sui ipsius sitim & desiderium, quando scilicet homo redit ad illam dispositionem, in qua erat sibi delectabile quod praeteriit: si uero immutatus sit ab illa dispositione, memoria delectationis non causat in eo delectationem, sed fastidium, sicut pleno existenti, memoria cibi.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod quando delectatio est perfecta, tunc habet omnimodam quietem, & cessat motus desiderii tendentis in non habitum: sed quando imperfecte habetur, tunc non omnino cessat motus desiderii tendentis in non habitum.

AD SECUNDUM dicendum, quod id quod imperfecte habetur, secundum quid habetur, & secundum quid non habetur: & ideo simul de eo potest

esse & desiderium, & delectatio. AD TERTIUM dicendum, quod delectationes alio modo causant fastidium, & alio modo desiderium, ut dictum est. \*

ARTICVLVS III.

Utrum delectatio impediatur usum rationis.

AD TERTIUM sic proceditur. Videtur, quod delectatio non impediatur usum rationis. Quies enim maxime conuenit ad debitum rationis usum, undec dicitur in 7. Phisic. \* quod in sedendo & quiescedo fit anima sciens & prudens. & Sapient. 8. Intrans in domum meam conquiescam cum illa. scilicet sapientia, sed delectatio est quaedam quies, ergo non impedit, sed magis iuuat rationis usum.

¶ 2. Præterea. Ea quae non iuuat in eodem, est si sint contraria, non se impediunt: sed delectatio est in parte appetitiua, usus autem rationis in parte apprehensiuâ, ergo delectatio non impedit rationis usum.

¶ 3. Præterea. Quod impeditur ab alio, uidetur quodammodo transmutari ab ipso: sed usus apprehensiuus uirtutis magis mouet delectationem, quam a delectatione moueatur: est enim causa delectationis, ergo delectatio non impedit usum rationis.

SED CONTRA est, quod Philosophus dicit in 6. Ethic. \* quod delectatio corrumpit existimationem prudentiae.

RESPON. Dicendum, quod sicut dicitur in 10. Eth. \* Delectationes propriae adaugent operationes, extraneae uero impediunt. Est ergo quaedam delectatio, quae habetur de ipso actu rationis: sicut cum aliquis delectatur in contemplando, uel rōcinando, & talis delectatio non impedit usum rationis, sed adiunat: quia illud attentius operamur, in quo delectamur, attentio autem adiunat operationem, sed delectationes corporales impediunt usum rationis triplici ratione. Primo quodammodo distractionis: quia, sicut iam dictum est, ad ea, in quibus delectamur, multum attendimus. Cum autem intentio fortiter inhaerit alicui rei, debilitatur circa alias res, uel totaliter ab eis reuocatur: & in hoc, si delectatio corporalis fuerit magna, uel totaliter impedit usum rationis ad se intentionem animi attrahendo, uel multum impedit. Secundo, ratione contrarietatis: quaedam enim delectationes, maxime superexcedentes, sunt contra ordinem rationis, & per hunc modum Philosophus dicit in 6. Eth. \* quod delectationes corporales corrumpunt existimationem prudentiae, non autem existimationem speculatiuam, cui delectatio non contrariatur, puta, quod triangulus habet tres angulos aequales duobus rectis, secundum autem primum modum utraque impedit. Tertio modo, secundum quandam ligationem, in quantum scilicet ad delectationem corporalem sequitur quaedam transmutatio corporalis, maior etiam quam in aliis passionibus, quanto uehementius afficitur appetitus ad rem presentem, quam ad rem absentem: huiusmodi autem corporales perturbationes impediunt usum rationis, sicut patet in uiolentis, qui habent usum rationis ligatum, uel impeditum.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod delectatio corporalis habet quidem quietem appetitus in delectabili, quae quies interdum contrariatur rationi, sed ex parte corporis semper habet transmutationem, & quantum ad utrumque impedit rationis usum.

AD II. dicendum, quod uis appetitiua & apprehensiuâ sunt quidem diuersae partes, sed unius animae: & ideo cum intentio anime uehementer applicatur ad actum unius, impeditur ab actu contrario alterius.

AD

Tract. 15. super io. no. mulcum remore ante medium, to. mo 6.

Cap. II. name dio. to. I.

AD TERTIVM dicendum, quod vsus rationis requirit debitum vsu imaginationis, & aliarum vi- rum sensitiuarum, quæ vtuntur organo corporali: & ideo ex trãsmutatione corporali vsus rationis im- peditur, impedito actu virtutis imaginatiuæ, & alia- rum sensitiuarum.

ARTICVLVS IIII.

Primum delectatio perficiat operationem.

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur, quod delectatio non perficiat operationem. Omnis enim humana operatio ab vsu rationis dependet: sed delectatio impedit vsu rationis, vt dictu est: ergo delectatio non perficit, sed debilitat operatio- nem humanam:

¶ 2. Præter. Nihil est perfectiũ sui ipsius, vel suæ cau- sæ: sed delectatio est operatio, vt dicitur in septimo, & decimo Ethic. ¶ quod oportet, vt intelligatur vel essentialiter, vel causaliter: ergo delectatio non per- ficat operationem.

¶ 3. Præter. Si delectatio perficit operationem, aut per- ficat ipsam sicut finis, aut sicut forma, aut t sicut agēs: sed non sicut finis, quia operationes non quæruntur propter delectationem, sed magis e conuerso, vt su- pra dictum est: \* nec iterum per modum efficien- tis, quia magis operatio est causa efficiens delectatio- nis: nec iterum sicut forma: non enim perficit delectatio operationem, vt habitus quidam, secundum Philosophum in decimo Ethicor. \* delectatio ergo non perficit operationem.

SED CONTRA est, quod dicitur ibidem, quod delectatio operationem perficit.

RESPON. Dicendum, quod delectatio dupliciter operationem perficit. Vno modo per modum finis, non quidem secundum quod finis dicitur id, propter quod aliquid est, sed secundum quod omne bonum complete superueniens, potest dici finis, & secundum hoc dicit Philosoph. in decimo Ethicor. \* quod delectatio perficit operationem, sicut quidam superueniens finis, in quantum scilicet super hoc bonum, quod est operatio, superuenit aliud bonum quod est delectatio, quæ importat quietationem appetitus in bono præsupposito. Secundo modo, ex parte causæ agentis, non quidem directe: quia Philosophus dicit in decimo Ethicor. \* quod perficit operationem delectatio, non sicut medicus sanum, sed sicut sanitas: indirecte autem, in quantum scilicet agens, quia delectatur in sua actione, vehe- mentius attendit ad ipsam, & diligentius eam operatur, & secundum hoc dicitur in decimo Ethico. \* quod delectationes adaugent proprias operationes, & impediunt extraneas.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod non omnis delectatio impedit actum rationis, sed delectatio corporalis, quæ non consequitur actum rationis, sed actum concupiscibilis, qui per delectationem augetur: delectatio autem, quæ consequitur actum ratio- nis, fortificat rationis vsu.

AD SECUNDVM dicendum, quod sicut dicitur in secundo Physic. \* contingit quod duo sibi in- uicem sunt causa, ita quod vnum sit causa efficiens, & aliud causa finalis alterius: & per hunc modum operatio causat delectationem sicut causa efficiens: delectatio autem perficit operationem per modum finis, vt dictum est. \*

AD TERTIVM patet responsio ex dictis.

QVAESTIO XXXIII.

De bonitate, & malitia delectationum, in quatuor articulos diuisa.

DEINDE considerandum est de bonitate, & malitia delectationum.

ET CIRCA hoc quæ- runtur quatuor.

¶ Primo, Vtrum omnis delectatio sit mala.

¶ Secundo, Dato quod non, vtrum omnis delectatio sit bona.

¶ Tercio, Vtrum aliqua delectatio sit optima.

¶ Quarto, Vtrum delectatio sit mensura, vel regula, secundum quam iudicetur bonum, vel malum in moralibus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum omnis delectatio sit mala.

AD PRIMVM sic proceditur.

Videtur, quod omnis delectatio sit mala. Illud enim quod corrumpit prudentiam, & impedit rationis vsu, videtur esse secundum se malum: quia bonum hominis est secundum ratio- nem esse, vt Diony. dicit in quarto cap. de diu. nomi. \* sed delectatio corrumpit prudentiam, & impe- dit rationis vsu: & tanto magis, quãto delectatio- nes sunt maiores: vnde in delectationibus venereis, quæ sunt maximæ, impossibile est aliquid intellige- re, vt dicitur in 7. Ethic. ¶ Et Hiero. etiam dicit super Math. \* quod illo tempore, quo conjugales actus geruntur, præsentia Sancti Spiritus non dabitur, etiã si propheta videatur esse, qui officio generationis obsequitur: ergo delectatio est secundum se malum: ergo omnis delectatio mala.

¶ 2. Præter. Illud quod fugit virtuosus, & prosequitur aliquis deficiens a virtute, videtur esse secundum se malum & fugiendum: quia, vt dicitur in 10. Ethic. ¶ Virtuosus est quasi mensura, & regula humanorum actuum. Et Apostolus dicit 1. ad Corinth. 2. Spiritua- lis iudicat omnia: sed pueri & bestia, in quibus non est virtus, prosequuntur delectationes: fugit autem eas temperatus: ergo delectationes secundum se sunt malæ, & fugiendæ.

¶ 3. Præter. Virtus & ars sunt circa difficile, & bonu, vt dicitur in 2. Ethic. \* sed nulla ars ordinata est ad delectationem: ergo delectatio non est aliquid bonum.

SED CONTRA est, quod in psal. 36. dicitur: Delectare in Dño: cum igitur ad nihil mali authoritas diuina inducat, videtur quod non omnis delectatio sit mala.

RESPON. Dicendum, quod sicut dicitur in decimo Ethic. \* aliqui posuerunt omnes delectationes esse malas, cuius ratio videtur fuisse: quia intentionem suam referebant ad solas delectationes sensibiles & corporales, quæ sunt magis manifestæ. Nam & in cæteris intelligibilia a sensibilibus antiqui Philoso- phi non distinguebant, nec intellectum a sensu, vt dicitur in lib. de Ani. \* Delectationes autem corpo- rales arbitrabantur dicendum omnes esse malas, ut sic homines, qui ad delectationes immoderatas sunt proni, a delectationibus se retrahentes, ad medium virtutis perueniant. Sed hæc existimatio non fuit con- ueniens: cum enim nullus possit viuere sine aliqua

Prima Secundæ S. Thomæ.

¶ Super quæst. trigefimam quartam.

MISSA quæstio- ne trigefimater- tia, circa quæstionem trigefimam quartã ad uerte, quod author post tractatum de bo- nitate & malitia pas- sionum in communi, examinare vo- lens bonitatem & ma- litiam passionum in speciali, circa duas tantum passionem, sci- licet delectationem, & tristitiam, quæ- stiones mouet singul- latim de bonitate & malitia. & ratio est: quia ad istas termi- nantur omnes a- liae passionem, & ab eis quo- dammodo regulan- tur, vt infra habe- tur.

¶ Super

4. di. 39. q. 3. ar. 4. q. 3. co. Et uerit. q. 35. ar. 4. Et 10. Ethic. lc. 1. a. 3. & 4. ¶ par. 4. non remote a fi.

Cap. 11. non procul a fin. Hier. in ep. de monogamia a med. tom. 1.

Ca. 5. paulo ante finem tom. 5.

Cap. 3. non multum ante finem tom. 5.

Ca. 2. & 3. 10 mo 5.

Lib. 2. text. 150. to. 2.

Inf. q. 34. ar. 4. ad certifi. & q. 40. art. 8. cor. Et 4. di. 17. q. 1. ad 3. Et uerit. q. 35. ar. 4. cor. & ad 2. 2. ar. præced. Inq. 7. Ethic. 11. c. 13. & 11. c. 6. & 3. & 4. tom. 5.

art. præced.

Li. 10. Ethic. 4. post med. illius to. 5.

Li. 10. Ethic. 4. post med. illius to. 5.

Med. 11. c. 1. uanc. citat.

Li. 10. Ethic. 3. par. ante med. to. 5.

Tex. 10. to. 5.

In corp. art.